



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sulpici[i] Severi Presbyteri Opera Omnia

Sulpicius <Severus>

Amstelodami, 1665

Nadab Rex Israel.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11490

alterum, ¹ quod prophetam Domini, hoc ipsum increpantem, in vincula coniecit: tertium, quia in pedum dolore, remedium, non à Domino, sed à medicis speraverit.

¹ LXXIV. Sed ² initio regni hujus ³ Hieroboam, rex decem tribuum, ⁴ defunctus est: regnum Nadab filio reliquit. Is malis operibus, & tam suis, quam ⁵ maternis meritis, invisus Domino, ⁶ non ultra biennium regno potitus est, ⁷ privataque imperio indigna progenies, ⁸ Banachia filium, successorem habuit, ⁹ æque à Domino alienissimum.

Itaque

¹ *Quod Prophetam Domini.*] Ananiam quem appellat videntem Scriptura. Unde Prophetæ Oracula visiones vocatæ, olim autem videntes, post Prophetæ dicti. I. Reg. 9. Sigon.

² *Initio regni hujus.*] Si Iosepho credendum, secundo jam anno regni Asa exaeto. Scribit hoc Iosephus Origin. Iud. lib. VIII. cap. 5. Quod tamen verum non videtur. Nam legimus I Reg. 15. v. 25. Nadab filius Ieroboam regnavit super Israël anno secundo Asa regis Iuda. Dru-
sius.

³ *Hieroboam, Rex decem tribuum.*] Placuit Talmudicis, reges Israël, qui, secessionem à Iudeis facta, sedem imperii Samariam tenebant, haud delibutos illo oleo fuisse, quod ex edicto numinis confectum à Mose erat. quare Eliam non nisi balsamo vulgari usum esse, cum Iosaphati filium Iehu ungeret. Sed ipsi addunt שִׁבְרֵי זָחַק מִסֹּרֵר בֵּיר הַחֲכָמִים: id modo sic traditum à sapientibus esse. ut jam non magnopere laboremus, quam hoc verum sit. Cuneus.

⁴ *Defunctus est.*] Dicitur annis plenis regnasse XXI. III Reg. 14. 20. Sed ultimus tantum inchoatus fuit. Nam III Reg. 15. 18. 33. dicitur Baasa, cum ex insidiis sustulisset Nadab filium Ieroboami, pro eo regnasse, anno tertio Asæ Regis Iuda, .i. XXI. anno ab initio Regni Ieroboami & Roboami, ut dicitur ibidem v. 9. Ergo ut vel unus integer annus dari possit Nadabo, debent Ieroboamo, non nisi XXI. anni concedi. Tirin-
nus.

⁵ *Maternis meritis.*] Legendum est paternis. Loquitur enim de Hieroboam, patre Nadab, auctore omnis superstitionis & defectionis à Deo. Sigonius. Assentior Sigonio legenti, paternis meritis. Nam quia Ieroboam cultum vitulorum instituerat, ideo progenies ejus invisus Domino erat. Vide III Reg. 15. v. 30. Druſ. τῶ πατρὶ, τὴν ἀσθεῖαν ἢ τὴν πονηρίαν ἐμφερῆς ἂν. Iosiph.
⁶ *Non ultra biennium.*] Regnavit anno integro. Alterum solum inchoavit. III Reg. 15. 25.

⁷ *Privataque imperio indigna progenies.*] Στρατοσύνη ἐπὶ Γαβαθὰ πάλαι παλαιστίνων ἔσαν πολιορκία λαβὴν αὐτῶ ἀποσείδμεν. Ἐπίστρατοὺς δὲ ἐκεῖ ἐπὶ φίλα πνὸς βασιλέως ὀνομαζομένησκι ὅς μὲν τὴν τελευτῶν αὐτῆ τὴν βασιλείαν ἀφ᾽ ἡλασῶν ἀπαν τὸ Ἱεροσόλωμ χροῖ διέφθειρε Iosiph. Non idem evenit in Regibus Ephraim atque in Regibus Iudæ. Nam in his regnum semper mansit in eadem tribu & familia. In iis vero vix pervenit ad filium aut nepotem. Sigon.

⁸ *Banachia filium.*] Μαχίλα. Iosiph. Vox Banachia est corrupta, cum sit legendum Basan, aut Ban Achia, diremtis vocibus. Sigon. Olim emendavi, nec adhuc poeniter, Basie Achia filium. Vix dubito quin Severus ita scripserit. Vide III Reg. 15. v. 27. Druſ.

⁹ *Æque à Domino alienissimum.*] Posteaquam cognovit per Prophetam. imminentes sibi ac suo generi calamitates, non